



Fol. 4° 31 31

18.
PROTREPTICON AD ANIMOS
MODERATOS

DE

FVGIENDA XENO-
PHONIA,

QVODQVE NON TANTVM PIE
SENTIRE CVM ORTHODOXA ECCLESIA,
SED ET VNIFORMITER CVM EADEM LOQVI
JVXTA I. COR. I. IO. DECEAT,

L. Proseleusibus absolutum,

& ALTDORFI d. 13. Sept. M DC CII.

publica Disputatione assertum,

PRÆSIDE

CHRISTOPHORO SONN-
TAGIO,

SS. TH. DOCTORE & PROFESSORE
PRIMARIO,

& RESPONDENTE

M. JOHANNES SEBASTIANO FRISIO,

Svobaco-Franco,

Stipendiato ONOLDINO.

Literis HENRICI MEYERI, Universit. Typographi.

XVIII.

PROTREPTICON AD ANIMOS
MODERATOS

EVANGELIUM XENI

PHONIA

OVODOVE NON TANTUM PIE

SENTIRE CVM ORTHODOXA ECCLESIA

SED ET VITIOSITER CVM ECCLESIA

INTRA 1. Cor. 1. m. 14. 2. Cor. 1. m. 14. 2. Cor. 1. m. 14.

In Proselephus admodum

8. Art. d. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

publica Dissertatione

PRÆSIDÈ

CHRISTOPHORO SONN-

TAGIO

SS. TH. DOCTORE & PROFESSORE

PRIMARIO

IN THEOLOGIA

M. JOHANNI SEBASTIANO FRISIO

AVOCATO PAVLO

SEMPENDIARIO ONOLDINO

Licentia Henrici Meyeri, Universitatis

1707



I. N. 7.

PROTREPTICI AD ANIMOS MODERATOS

Proseleusis I.



O *Animi moderati*, quotquot non tantum pie sentire cum Ecclesia, sed & uniformiter cum eadem loqui 1. Cor. I. 10. nec novas disseminare lites, verum disseminatas ab aliis, quantum per Dei gratiam fieri potest, componere mecum gestitis; eia! pergite eam, quam curritis, viam: Facite porrò id, quod facitis, opus Domini. Sectamini pietatem orthodoxam, quæ, non voluntatis modò, sed & intellectus rectitudinem complexa, tam credenda respicit, quam agenda, illorumque sinceram, & horum severam sibi culturam exposcit. Neu fingite vobis credenda verè talia, quæ in nuda speculatione consistant; cum nullum verè tale dari *πιστων* possit, quin sit practicum, perinde, ac ipsa quoque, à Spiritu S. excitata, fides nostra haudquaquam apprehensio theoretica, sed practica est. Vid. B. D. Höpfnerus *Disp. XII. de justif. p. 1120.* B. D. Scherzer. *System. pag. 3.* B. D. König. *Theol. Posit. pag. 249.*

Prosel. H.

Fugite vero pietatem heterodoxam, hoc est, eam, quæ non est Prophetica & Apostolica, non est vera pietas. Destituitur enim vera voluntatis Dei agnitione, neque in sincera credendorum cultura ponitur; adeoque est pietas sine verbo. Fallitur ergo, qui ex uno latere impietatem vitæ exofus, ex altero in tetram incidit heterodoxiam. Recto incedit pede,

A 2

qui

qui utramque cane pejus & angue fugit. Ita demum, & non aliter, quæritur ante omnia regnum Dei & justitia ejus: Ita singularitas, eaque non commentitia, sed mera, sed a Deo prohibita, & formæ sanorum verborum contraria, subterfugitur.

Proscel. III.

Abominamini ergo pietati orthodoxæ adversantem Fanicismum, hoc est, quamvis pietatis veræ κακοζηλίαν sive affectationem perversam, & à verbo Dei averfam, quam haud abs re in quinque partes, Enthusiasmum, Perfectismum, Syncretismum, Chiliasmum & Scepticismum nonnulli subdividunt. Has profecto Syrtes & fascinationes qui sequuntur, ad portum gloriæ divinæ & malaciæ Ecclesiasticæ, vel omnino non, vel minus dextre collimant; & à moderatione illa, quam in præsentia tuemur, longius absunt.

Proscel. IV.

Nolite sequi existimantes, Deum uti ad ecstasim regenitorum promovendam defectibus naturalibus, nedum vitiosis: v. g. α) studio Alchemiæ aliarumve artium immodico, per quod phantasia nimis occupata sensus exteriores retrahat ac debilitet. β) amore inordinato, per quem homines, à sensuum externorum operatione retracti, ad amorem Dei intra se descendant. Tales Simon Magus, Gnostici, Valentiniani, Begardi, Beguini, & quidam Anabaptistæ, ut & familia H. Nicolai, communitatem mulierum invehens. Ipsi autem Valentiniani teste Irenæo apud Epiphanium Hæres. XXXI. p. m. 192. tria hominum genera statuere, πνευματικόν, χείκον, ἢ ψυχικόν. Idem τὰς πνευματικὰς, quos Sethianos dixerant, quævis flagitia intrepide perpetrare posse putavere, referente Dn. Stokmanno *Elucid. Hæres. pag. 439.*

Proscel. V.

Neve audiatis eos, qui ecstasim regenitorum deductum eunt γ) à temperamenti melancholici vitio, conjuncto cum passionibus spleneticis, paroxysmis febrilibus, aliisve morbis in phan-

phantasiam operantibus & influxum ejusdem in externos sensus mirè infirmantibus, quibus insit τὸ θεῖον. Hic mea quidem sententia præstabat τὸ ἐπέχειν, quam superstitiose προσέχειν, eo, quod Deus nullibi in verbo suo promiserit, sese per ejusmodi defectus naturæ nos illuminaturum esse. Quin potius Deus noster est Deus ordinis, quem non mutat. Multa paucis: Deus per auditum nos convertit; ecquî ergo malum! sensus auditus hîc abdicari possit aut abnegari?

Proscel. VI.

Spiritus sunt probandi, num sint ex Deo 1. Joh. IV, 1. quem ad locum vid. *B. D. Frid. Ulr. Calixti Dissertationem*, recentioribus spiritibus fanaticis oppositam anno 1693. Sed enim difficile est probare spiritus ἐνθεσιαζόντας ob summam, quam præ se ferunt, pietatis μόρφωσιν. Proim Fanatici eò impensius sunt cavendi, quò minus sibi persuasum habent, sese esse Fanaticos. Μὴ παραπαρήνευθε ait Apostolus 2. Thess. III, 14. Crassissimis autem hodie veniunt accensendi, qui oleo quodam aliove medicamine inaugurare suos perhibentur, idque ad purgationem temperamenti & omnimodam ejusdem immutationem provehendam.

Proscel. VII.

Tortuosæ Fanaticorum orationes sunt declinandæ, ne nos inescant; sed & libri eorundem non sine summo judicio, nec sine prævia experientia Theologica, eademque fundatione, legendi. Fanaticos promiscue omnes nec temere damnatos, nec tamen etiam temere beatos pronuncietis, velim. Non illud; quia nescitis, num ignis agonis eorum stipulas combusserit. At neque hoc; quia prædicant aliud (immediatarum videl. suarum manifestationum) Evangelium. Vid. *Calixt. l. c.* Restat, ut fugiatis tantò impensius omnem vitæ impietatem, utpote quâ vel excusant deliria sua homines isti, vel ad ipsummet ἐνθεσιασμόν profitendum eâdem sese permotos esse causantur.

Proscel. VIII.

Cum primis exemplo suo gregi præluceat quivis Ecclesiæ Evangelico-orthodoxæ Minister. Etenim si nulli forent Ministri impii, nulli quoque ad ζήλον ἄζηλον abripi poterant Donatistæ horumve sequaces. Studeat igitur quilibet, orthodoxiæ coronam gestans, dogmata Fanaticorum precibus & exemplo simul refellere. *Precibus*; quandoquidem istud hominum genus lucrifieri non potest, nisi Deus suspiriis nostris exoratus, agnoscere eos faxit amoris nostri ingenui, ad providendam ipsorum salutem directi, ὑπεροχὴν. *Exemplo*: Sic nimirum λόγῳ καὶ ἔργῳ adversum ipsos evadet δυνατός.

Proscel. IX.

Seductores Fanatici aliter veniunt tractandi, quam ab his seducti. Illi enim lupi; hi oves sunt. In redarguendis illis Spiritus Sanctus διποτομίαν; in his autem corripicndis τὴν περὶ αὐτῶν requirit. Nec tamen adulari decet spiritibus vertiginis, nec ad gratiam loqui; nec tergiversari, si venenatos errores suos insinuare animis conentur, quo minus eosdem παραιτεῖσθαι καὶ ὑπεύθεισθαι allabores. Omnium; minimè autem infano hos excipere applausu convenit. Hoc qui facit, in malitiæ & perversitate illos obfirmat suâ.

Proscel. X.

Quocirca mature improbentur & eradicentur, oportet, talium affaniarum femina. Pullulabunt enim, nisi hoc fiat, opinione celerius, & agrum Ecclesiæ depopulabuntur. Nec deterreant Ministrum, ex mandato Dei ἐλέγχοντα καὶ Ἰπιστομίζοντα, vel libelli famosi, vel alia sexcenta ignominia genera, quibus impetitur à maleferiatis. Quandoquidem hæc coram facie Ecclesiæ, imò coram facie Dei & sanctorum Angelorum ipsi sunt honori, & conformitatem cum exemplo Christi, Apostolorum aliorumque Doctorum probatorum, conciliant. Ecquid, autem, decentius amœniusve, quam pro veritate multa pati fideles veritatis athletas?

Proscel.

Proscel. XI.

Poeniteat nos nostræ, erga revelatum Evangelium & admirandum opus reformationis Lutheri admissæ, ingratitude, quâ Deus ad iram provocatus veritatem à quibusdam posthaberi, & errores Fanaticorum eidem subinde præferri sinit. Vid. *Luther. lib. contra cælestes Proph. Tom. III. Fen. fol. 35. b.* Dicitur utique multis in illo die: Reddite rationem villicationis vestræ.

Proscel. XII.

Non excusare decet assertores Fanatismi eò, quod ante attractas & pertinaciter defensas *Widerwartigkeiten* suas orthodoxi ac pii fuerint. Exemplo sit Andr. Bod. Carolstadius. *Luth. l. c.*: D. Andreas Carolstadt ist von uns abgefallen. Renunciaverat hic Lutherum Doctorem anno 1512. eidemque dicaverat hic aureum suum in Ep. ad Galat. Commentarium, & in Epistola dedicatoria vocaverat eundem puræ & veræ Theologiæ Doctorem, imò Præceptorem in Christo observandum.

Proscel. XIII.

Consolamini præsentis temporis miseriam Lutheri exemplo. Velut enim jam dicunt Enthusiastarum æmuli, quod orthodoxi non habeant spiritum: Ita id vel Luthero tribuere non erubuerunt genii & ingenii istius homines. Vid. librum Lutheri wider die Schwärmer/das diese Wort noch fest stehen *Tom. III. Fen. Germ. fol. 338. b.*: Ist ihnen genug/das sie das Buch (von Himml. Propheten) ansehen / nur die Nase dargegen rümpfen / und sagen: Es ist kein Geist da.

Proscel. XIV.

Si audire contigerit, ita animatos etiam Verbum scriptum jactitare, expendatis præter alia & præfiscini accommoderis judicium ejusdem Megalandri l. c. fol. 336. b. & sequ: Und weil eine jegliche Kotte die Schrift für sich zog / und auf ihren Sinn deuset / ward das darauß / das die Schrift anfienge nichts mehr zu

zu

zu gelien / und auch dazu endlich den Nahmen überkommen hat / daß sie ein Käserbuch heißet / als darauß alle Käserey entsprungen ist / weil alle Käser sich mit der Schrifft behelffen. Also kundte der Teuffel den Christen ihre Waffen / Wehre und Burg (das ist / die Schrifft) ablauffen / daß sie nicht allein matt und untüchtig wider ihn ward / sondern auch wider die Christen selbst streiten mußte / und sie bey den Christen so verdächtig macht / als wäre sie eitel Gift / wider welche sie sich wehren solten. Sage mir / ist das nicht ein Kunst-stücklein des Teuffels gewesen?

Proscel. XV.

Ne ad spiritum ante verbum; sed ad verbum ante spiritum attendatis. Id quod Theander von himml. Propheten Tom. III. Jen. Germ. fol. 79. a. in Fanaticis ætatis suæ carpit, daß sie nicht zuvor durchs eußerliche Wort zum Geist / sondern zuvor aus dem Geist auf das eußerliche Wort kommen; und führen darauf den Spruch Christi Joh. XV. Der Geist der Wahrheit wird Zeugniß geben / gerade / als hätten die Apostel den Geist überkommen ohne das eußerliche Wort Christi. Prophetarum quippe talium cœlestium Patronus fuit Carolstadius, qui ipse quoque scripto confessus est, sibi apparuisse virum quempiam, à quo sententiam suam de negotio cœnæ primum acceperit; quem ille Deum Patrem fuisse persuasus sit. B. D. Myl. Volum. Disput. I. §. 12. fol. m. 3. a. De Zwinglio res in vulgus nota.

Proscel. XVI.

Agnoscetis, si Historiam Ecclesiasticam inde usque à Reformationis tempore pensiculatiùs volvere & revolvere juverit, ovum ovo similis non esse, quam flexiloquentiam Enthusiastarum eorum, qui Lutheri ætate turbas dederunt, & eorum, qui posthac ad nostra usque tempora illorum vestigia legerunt. Aliter animi moderati; quorum est, ceu diximus, non tantum pie cum Ecclesia orthodoxa sentire, verum etiam uniformiter cum eadem loqui 1. Cor. I. 10.

Proscel.

✽ (9.) ✽
Proscel. XVII.

Reprobate, ô mei, dogmata quorundam de insolito mortificationis modo, & sequimini eatenus Lutherum, qui in novis suorum temporum Prophetis, quos vocat, mascule reprobavit ac repudiavit die neue Weise Mortificationis, das ist / eigen-erwehlte Tödtung des Fleisches *l. c. fol. 36. b.*

Proscel. XVIII.

Portentosa insuper existimate magis, quam ab Orthodoxis præpostere intellecta, veterum nonnullorum phantasmata von der Entgröbung / Studierung / Entzückung / langen Weile &c. quorsum revocabilia sunt cætera quoque Hydræ Enthusiasticæ capita. Confer geminum horum exemplum, quod ex recentioris ævi historia fuse admodum percensuit *B. Calixtus l. cit. à pag. 20. u. a. 108.*

Proscel. XIX.

Observate Schwenkfeldium, qui duriores sententias suas, quibus ipsummet Lutheranorum ministerium & sacramenta impugnârat, de abusu ministerii postmodum interpretatus est. Observate præterea eundem, qui juramentum in Aug. Conf. rejecit, & errorum complurium insimulavit Confessionem ipsam, narrante *Arnoldo Hist. Heret. part. II. pag. 246.*

Proscel. XX.

Virorum Dei nomen à multis olim deportâsse vel Enthusiastas longe perversissimos, ecquid, obsecro, mirum, cum hodiernum eundem à multis titulum deportent? Cæterum eos, qui causam tuentur orthodoxam, hoc est, qui non falsa, sed Verbo Dei consona per dogmata homines pios in sua pietate confirmare, & impios ab impietate sua revocare ingenue student, gloriamque Dei & salutem Ecclesiæ orthodoxæ anxie quærunt, quibuscunque tandem alii mactent dictariis; coronam tamen orthodoxiæ, eamq; genuinam, ipsis minimè omnium intervertent; imo vero, seu ἀρεσίαν, seu πνεσίαν committant isti iudices, hac ipsa perversitate reddent fulgentiorem.

B

Proscel.

Proscel. XXI.

Πρόφασιν animadvertere decet hodiernum ab Enthusiasticis afferri eandem, quam Schwenkfeldius olim, errores suos hominibus persuasurus, attulit, nimirum quod apud plurimos (Lutheri doctrinae addictos) emendatio vitae non sequatur. *Stekmann. l. c. p. 379.* Easdem, inquam, hodie tibias multi inflantes fallaciam non causae, ut causae, incurrunt. Puriorne ergo doctrina (non alia intentione divinitus, nisi ut homines eadem ad salutem recte utantur, tradita, & à Ministerio γρησιως Lutherano sanctius asservata & propagata) in causa est, idque efficit, ut magna ubique impietas invalescat, & verus pene expiret in terra Christianismus?

Proscel. XXII.

Pium est, statuere, quod, qui Libris Symbolicis, eorumque dogmatibus, contradicit, ipsi Scripturae contradicat; nisi si per manifestam impietatem & absurditatem aliquid putetur in Scriptura S. esse verum, quod in libris tamen Symbolicis sit falsum. *Conf. B. D. Mabii Vindic. Hutt. ad Quaest. XVI. Loc. I. pag. 51. & Dn. D. Bechmanni Disp. I. in Aug. Conf. §. 25.*

Proscel. XXIII.

Æmulamini insuper pietatem B. D. Königi nostri, qui *Cas. Consc. pag. 774.* ita scribit: *Non sequitur: Tu super quibusdam articulis, ex Scriptura mutuatis, iuras. E. fides tua jurata est Cynosura, ad quam conformanda ipsa Scriptura, & aliorum Scriptura dictorum interpretationes. Scriptura enim semper manet Scriptura, hoc est, fidei & morum Cynosura in perpetuum. Dum autem ex illa colliguntur certi Articuli, sive fidei, sive moribus informandis apti, de quorum veritate tu in mente convictus aliter judicare non potes, nisi quod ita Scripturae sint conformes, ut etiam juratus in eorum sententiam abire ausis; tunc Articuli isti non fiunt ipsa Scriptura; sed manent Conclusiones, ex Scriptura tanquam principio deductae.*

Proscel.

Proscel. XXIV.

Audite eundem ibidem, ubi sic pergit: *Merentur* (hi Articuli) *fidem ac juramentum non propter suam propriam auctoritatem, sed propter alienam, nempe propter Scripturae conformitatem, in quam fides & juramentum tuum ultimatè resolvuntur, in tantum, ut, sublata Scriptura & ejus conformitate, ne Articuli quidem tales conscribi, multo minus jurato abs te asseverari potuissent.*

Proscel. XXV.

Quodsi praxin istam autumes sinistram esse, qua dogmata τὰ Ἐπιπολάζοντα Libris Symbolicis aut repugnantia, aut non repugnantia judicentur; solvit & hunc nodum *D. Königius* pag. 775. ajens: *Quando ad istos juratos Articulos aliorum doctorum interpretationes exiguntur & conferuntur, tunc isti Articuli non tanquam Cynosura constituuntur: sed Scriptura, in qua ipsi Articuli fundabantur, per Scripturam explicatur, cui istae interpretationes conformes deprehensae aequae dignae judicantur, quae, sicuti ceteri Articuli, Magistratus auctoritate accedente, sub jurata fide possint suscipi.*

Proscel. XXVI.

Summatim ut dicam, intueamini in Scripta Ecclesiarum nostrarum Symbolica, non ut in principium constituendi fidem & religionem, multo minus ut in principium demonstrandi veritatem religionis Lutheranae ad hominem Pontificium aut quemvis alium, à Lutherana religione alienum. Verum intueamini in ea duntaxat, ut in principium particularium quarundam Ecclesiarum conventionale & positivum conservandi inter se formam doctrinae publicae, ex sacris literis & consensu antiquitatis semel constitutam. *B. D. Hülfemann. Dialys. pag. 321. & sequ.*

Proscel. XXVII.

Notate æmulos Osiandri, quorum paralogismus est: Si justificati etiam sunt à Christo inhabitati; sequ. quod justifica-

tio sit ipsa Christi inhabitatio. Perinde nempe foret, ac si quis argueret aut inferret ita: Si homo rationalis etiam est corporeus; sequitur, quod ratio hominis sit ipsum corpus hominis. Enimverò jamdum anno 1524. suã usum esse phrasi Osian-drum, *Dominus à Seckendorff* refert *Histor. Luther. Tom. I. p. m. 301.* Et certè ipsum haud procul à Schwenkfeldio, imò haud procul à Papistis recessisse, jamdum observavit Melanehton *Resp. ad art. Bavar. Norm. Norib. p. 997.* Oslander nempe causam; Pontificii effectum urgent. Inter alia siquidem argumenta, quibus Pontificii vim meritoriam operibus nostris ascribunt, etiam hoc est, quod opera nostra proficiscantur à principio infinito, Christo scilicet habitante in nobis, cui tanquam viti vos veluti palmites inferamur. *B. Kromayer. Theol. Posit. Polem. p. 647. & sequ.* Stringit autem eundem errorem *Phil. Mel. in Exam. Vid. Normal. Norib. p. 946. item p. 811. & sequ.* Eundem ipsum haud procul abesse à Papismo statuit etiam *B. Gerhardus LL. de justif. per fid. p. m. 429. & sequ.*

Proscel. XXVIII.

Fugite seditiosam Val. Weigeli vocem, quam eruçtat Postill. part. 2. f. 149. de illis Magistratibus, qui facinorosos vita privant, ita judicans, daß sie nicht Christo folgen/ sondern processum Justiniani des Heiden halten / hängen den Dieb/ köpfen den Ehebrecher/ tödten die Sünder. Et fol. 337. & sequ: Die Obrigkeit solte dem David folgen; der war ein Gast auf Erden; nahm keine Schatzung/ kein Umgeld. Et paulo ante: Die unchristliche Obrigkeit bezeusget (dum vectigal accipit) über sich selbst/ daß sie nicht in Him-mel gehören. Sie handeln wider das Gesetz und Recht Christi; sie will hier daheim seyn. *Conf. B. Thummii Impiet. Weigel. p. 236.*

Proscel. XXIX.

Animadvertite tandem in eos, qui approbant docentes, die Obrigkeit sey zwar eine Ordnung Gottes im Reich der Natur und in der Oeconomie des Vaters unter dem Gesetz / das böse

zu straffen/ und die Kinder des Reichs vor denen Gottlosen zu schützen. Im Reiche Christi aber brauche man keiner Obrigkeit: Ein gnädiger Herz könne kein Mitglied an dem Leibe Christi / viel weniger ein Bischoff der Kirche Christi seyn: Ein wahrer Christ/ der von dem Gesetz der Sünden durch den Geist Christi befreyet sey / stehe / wie Christus sein Meister/ de jure unter keiner weltlichen Obrigkeit: Diese seyn nur unter dem verderbten und unartigen Geschlecht nothwendig und nützlich: Das irdische Reich sey von Gott zum Nutzen der Heiden eingesetzt: item, es sey von der Obrigkeit mehr / als eine Heidnische Freyheit/ einen wegen Neuerungen und Lehr-sätze zu verdammen; Sie solle Gott allein seine Ehre retten lassen. Vid. B. Königzi zerbrochener Regiments-Nagel à pag. 51. a. a. 70. ubi hæ periculosa quorundam novantium hypotheses operose discutuntur.

Proscel. XXX.

Taxanda utique à vobis sunt & repudianda ea, quæ traduntur à contenditibus, docentibus, scribentibusque, discrimen personarum & statuum inter membra Christi etiam ita esse sublatum, ut Magistratus politicus in regno Christi non constituat certam aliquam Hierarchiam, neque Rex, Princeps, Nobilis ob communionem verorum Christianorum à subditis suis differant, addita hac ratione, quod Christiani per aliquot secula nullum habuerint Magistratum Christianum, & tùm demùm defecerint à veritate Evangelii, degenerârintq; in Ethnicismum ac Judaismum, cum Ethnicorum more Regem aut Imperatorem accepissent. Hæc utique sunt *ἑτερονομία*, & omnibus moderatioribus parum convenientia.

Proscel. XXXI.

Altius expendite verba gravissimi quondam Theologi Lipsiensis *D. Scherzeri System.* pag. 870: Cæterum fanaticum istud hominum genus, in quibus agmen hodie ducit *Empæta Kublmannus*, in Lutheranismum vigere Antichristianismum vesane calumniatur. Quorum calumnia non penna; sed publica poenâ, virgis & fustibus digna est. Hæc *Schertze-*

rus; qui ipse nihilofecius affirmavit, sensu communi carere eum, qui Ecclesias particulares deficere posse negaverit pag. 703.

Proscel. XXXII.

Larva, mendaci lucis Angelo detracta, Stutgardiaë anno 1700, typis mandata, novo vos edoceat exemplo, quam infirmum atque jejunum fit istud iudicium, quod nonnulli promiscuè de visionibus & colloquiis Angelicis, insomniis, prophetiis, luctis cum Satana, vocibus indies aurem personantibus, aliisque fascinationibus tulerunt, opinati, ejusmodi revelationes haudquaquam vanas esse aut frustraneas; sed effectum & eventum earum, ad confusionem incredulorum, hæc talia vilipendentium, animorum patienter esse præstolandum. Alia omnia in apricum protulit hoc, quod instar multorum esse potest, illustrius BADERIÆ, coram summo Principis Syne-drio fraudis convictæ, exemplum, ceu ex actu pœnitentia Ecclesiastico, palinodiam ejus publicam describente, patescit. Deus veritatis personam hæc, è fascinationibus abductam suis, in pia veritate, verâque pietate conservet! Sed enim provocârat hæc inter alia ad Rosamundam Affeburgiam (conf. Tract. alleg. p. 19. 20.) quam & ipsam eventus docuit, quem spon-sum prophetia sua dederit innocenti sorori. Ubi ergo est vitæ hujus sanctimonia, ex quo Würzenæ in diverso sororis spon-sum conflictu haudquaquam Christiano ultra est Rosamunda, eiq; unguibus in os generoso scil. impetu involavit, ac consummati matrimonii vinculum privato ausu rumpere coegit? Ita quaerit *Celeberr. Dn. Cyprian. Programm. Pentecostali nupero de libertate prophetandi.*

Proscel. XXXIII.

Attendere juverit ad emphaticam illam, quam *B. Gerhardus Conf. Cathol. lib. 2. part. 2. art. 7. cap. 4. pag. m. 320.* de abnegatione sui ipsius laudat, Francisci Lucæ Brugensis explicationem, utpote juxta quam *semetipsum abnegare non est abnegare*

gare

gare id, quod est ex creatione, sed id, quod est aut esse potest sua voluntate. Nam quia voluntas inter facultates animæ humanæ principatum gerit, totumq; ad eum hominem gubernat aut regit, idcirco abnegare seipsum sive animam suam dicitur, qui abnegat voluntatem suam. Suam autem non quamcunq; jubetur abnegare; nec enim hominem agat, qui voluntate non utatur: sed ita suam, ita propriam, ut non consonet voluntati Dei; proprium omne velle, quod à Dei lege aut certe voluntate discrepet. Hæc ille; ex quibus nullo negotio patefcet, quæ de abnegatione sui ipsius ita loquendum veniat, ut ad legem & testimonium nostra congruat oratio.

Proscel. XXXIV.

Omnia probare, & quod bonum est tenere noveritis, si propositiones Societatis Philadelphicæ Anglicanæ, paucis abhinc annis è rationibus pro fundatione & promotione ejusdem extractas, in primo illius conventu prælectas, & A. 1697. Londini editas, oculis usurpare contigerit. Ambidextra nempe in his videntur nonnulla, quæ sobriis & moderatis rerum æstimatoribus dijudicanda sistimus. In ipsomet votivo harum oculiferio de omnibus in C. J. credentibus, ubicunque illi nunc dispersi vel absconditi sint, affirmatur: quod decreverit Deus opus suum perfecte in ipsis implere, ne excellentissima primæ resurrectionis gloria excidant. Hoc si intelligeretur de resurrectione spirituali à morte peccatorum, sive de regeneratione; item de Ecclesia invisibili aut votiva, de qua videtis *disputationem meam anno 1694. d. 26. Sept. habitam*; seu mavis, de glorioso Christianorum beatorum in cœlis regno; piè voveretur: sin de resurrectione Ecclesiæ visibilis ad redunionem omnium religionum Christianarum, deque resuscitatione Spiritus Dei Unius, Sancti, Catholici, in ordine ad regnum Christi in terris gloriosum expectanda, accipiendum est (id quod sibi volunt Propositiones VIII, IX, X -- usque ad XIX. eo videlicet tempore, quo nomen Domini labio puro invocandum sit juxta Zeph. III. 9. Vid. Prop. XXII.) à nobis minus agnoscitur.

Proscel.

Ponderate fodes illud, quod decenti equidem moderatio-
 ne usus monebo. *Puram* nempe *Ecclesiam* aliquam, eamque
 visibilem & *Philadelphicam*, *curatis Christianitatis divisi-
 bus atq; sectis, remotisq; Ecclesiae, siue Romanae, siue Lutheranae,
 siue Reformatae corruptionibus, tum exurrecturam esse,
 cum Christus personaliter de caelis apparebit, ad eum excipien-
 dum* (quod asseritur in Propositionibus XX. XXII. XXV.
 XXXVIII.) negat Paulus Apostolus, quando 2. Thes. II. 8.
 aperte docet, *Christum per apparitionem adventus sui occi-
 surum & aboliturum esse Antichristum.* IN QVAC. igitur
 ECCLESIA CHRISTUS JUDEX, CUM APPARUERIT,
 INVENIET ANTICHRISTUM, UTPOTE PER APPA-
 RITIONEM ADVENTUS SUI OCCIDENDUM, ILLA
 NON POTEST ESSE TAM PURA ET PHILADEL-
 PHICA, QUAM PURA IN PROPOSITIONIBUS ISTIS
 ANGLICANIS DESCRIBITUR. ATQUI IN ECCLE-
 SIA VISIBILI ET QUA PROFESSIONEM EXTERNAM
 SPECTATA CHRISTUS JUDEX, CUM APPARUERIT,
 INVENIET ANTICHRISTUM. E. Ne quid dicam de ho-
 minibus securis, & de empæctis, quos inopinato dies offendet
 novissimus 1. Thes. V, 3. 2. Petr. III, 3, 4, 9, 10. Undenam
 igitur puritas illa Philadelphica?

Proscel. XXXVI.

Expendite mecum insuper in timore Domini illud, quod
 Propositione XXII. statuitur; varias istas Christianitatis divi-
 siones atque sectas, quæ omnes se veram esse Ecclesiam præ-
 tendant, alio modo curari, nisi per effusionem Spiritus San-
 cti, nequire; tametsi in Propositione XXVI. alia quoque me-
 dia, quæ exquiri debeant & expectari, ad tollendam refrige-
 ratam charitatem & fidem sufficientia, subinnuantur: quæ ta-
 men media juxta Propositionem XXVII. non sint uni parti aut
 religioni affixa, sed *æquè* ad omnes extensa. Proin scopus
 Phila.

Philadelphicæ istius congregationis non esse dicitur, ut dividant; sed ut uniant; non ut novam religionem instituant, sed ut spiritum amoris erga hos ex omnibus religionibus atque Ecclesiis foveant. Prop. XXIX.

Proscel. XXXVII.

Expendite, inquam, ô piæ veritatis amantes Animi, & πνευματικῶς ἀνακρίνετε, num henoticon tale inter omnes religiones, in Ecclesia quidem visibili, ante adventum Christi Judicis expectari queat aut sperari. Id enim si Scripturæ conformiter crederetur esse superstes, Tarsensis certe Apostolus falsò dixisset (quod jamdum ursumus) Antichristum per apparitionem demum Christi Judicis occisum iri: quinimo Salvator ipsemet zizania, usq; ad messem, hoc est, finalem seculi consummationem radices actura, succretura & per agrum scriptura, Matth. XIII, 30. 38. 39. nobis perperam proposuisset. Taceo, hæreses non secus inter omnes veros Christianos, ac medios inter Corinthios ad manifestationem τῆς δοξίμων perstituras 1. Cor. XI, 19. Taceo scandala, cum charitas refrigescat, & malitia hominum ingravescat, venire oportere Matth. XVIII, 7. Proin, scandalorum pertæsi, expectamus & nos regnum gloriosum, at in cœlo nobis ab exordio mundi paratum, ad quod Christus Judex nos vocabit omnium gloriosissime Matth. XXV. 34.

Proscel. XXXVIII.

Optandam ergo ducite concordiam inter Lutheranos & aliarum religionum dedititios; sperandam autem non item, quoad prævia horum ab erroribus suis conversio non supponitur, nec è Verbo Dei probatur, tanquam certò futura. Hanc certe Domini Philadelphi ne exigere quidem eatenus videntur; verum eandem doctrinæ Lutheranae conditionem, quæ cæterarum religionum (à corruptelis suis resuscitandarum) est, per particulam ÆQUE haud obscure nobis persuasum eunt. Falsò! Etenim Reformati, quoad *fundamentum principale*

C

pale

pale & organicum scriptis Ecclesiarum suarum confessionalibus convellunt, nobis sunt irreconciliabiles. *Principale* dico, dum talem illi profitentur Salvatorem, cujus sanguis haud omnes redemerit homines, neque redimendi aut salvandi virtutem acceperit infinitam; & cujus caro nec debeat religiose adorari, neque oraliter in coena possit manducari. *Organicum*, dum ejusmodi Verbum habent, in quo non revelari putatur illa Dei voluntas, quæ ad salvandum omnes homines dirigitur; & ad quod intelligendum usus rationis principalis, argumenta pro principiis fidei & eorum ἀξιωματικά suppeditans, requiritur. Nequid adjiciam de Baptismo, cujus aquæ (licet sacramentali) virtutem renovandi attribuere, manifestam idololatriam vocat *Beza in Coll. Mompelgart. p. m. 433.*

Proscel. XXXIX.

Memori porrò mente ea reponite, quæ dicam. Pontificii, quoad *dogmata fundamentalia* (tum de *Salvatoris officio*, tum de justificationis & salvationis ipsius *beneficio* agentia) destrutum eunt, nobis itidem sunt irreconciliabiles. Nec enim *officium Christi Propheticum* inviolatum manet, ubi Verbo Christi scripto aliud Non-scriptum, & pari pietatis affectu amplectendum, affuitur: *Nec Sacerdotale*, ubi satisfactionis atque intercessionis gloria etiam Sanctis demortuis ceditur, & sacrificium missæ jungitur ἡσπροπεῖν ἢ μονοτρόπον ipsius sacrificio: *Nec regium*, ubi Judicem controversiarum & Caput Ecclesiæ Pontificem Romanum confitentur homines. Quandoquidem autem Bona Opera in Sefs. VI. Concil. Trid. justificationis & salvationis perhibentur esse meritoria; ecqui *ipsummet justificationis & salvationis beneficium* (cujus ratione non est in alio quoquam salus, neque aliud nomen sub cœlo datum, in quo nos oporteat salvari, nisi in nomine JESU; & cujus respectu ex sola & mera gratia salvati sumus; non ex operibus, ne quis gloriatur) hac regni Ecclesiastici Papalis ψευδοδιδασκαλία maneat inconcussum?

Proscel.

Neve istud negligendum prætereundumve censete, quod æqualem religionum omnium rationem habere videantur Domini Philadelphi, quas omnes sine discrimine voluerunt *sectarum* nomine insignitas. Ita verò dijudicent cordatiores, an non paris monetæ fuerint, religio orthodoxa, & reliquæ omnes heterodoxæ, sive à norma Verbi divini dissonæ. Quamvis enim *vocabulum sectæ*, in aliqua latitudine acceptum, non fecus, ac *vocabulum αἱρέσεως*, quamlibet promiscuè religionem, sive veram, sive falsam, denotaverit; usus tamen, quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi, illud potius fert, ut *sectarum* nomine veniant non nisi heterodoxæ religiones. Ita ergo si v. g. Pontificius, quem pius existimant sui, communicat sub una, in hōc conscientia erronea; si pius orthodoxus, in hoc conscientia recta est. Non igitur *æque* ad hunc, atque ad illum, *media unionis Philadelphicæ extendi debent*: verum necesse est, ut suum ille errorem deponat. Hic contra non habet, quem deponat, errorem; sed ipsummet Christi Verbum sequitur. Proin haudquaquam par utriusque est ratio, si uterq; jurato prætendat contendatve, sese ad veram pertinere Ecclesiam; quandoquidem ille ex conscientia erronea, hic ex recta jurat. Et nullius profecto valoris est sequela: Jurat Heterodoxus & firmissime sibi persuasum habet, se salvificam omnino profiteri religionem. E. idem ipse ex rei veritate quoque salvificam profiteretur religionem.

Proscel. XLI.

Altius vero indagate & excutite illud, quod totidem verbis astruxerat Propositio XXII. varias istas Christianitatis divisiones atque Sectas, quæ omnes se veram esse Ecclesiam prætendant, alio modo curari nequire, nisi per effusionem Spiritus. Etenim si effusionem Spiritûs Joëlicam intelligunt, ceu quidem superiùs Propositio sexta dictum istud allegarat ex cap. II, 28. illa certe jamdum facta est in prima post ascensionem

Christi Pentecoste, teste omni exceptione majore Apostolo Petro, cujus vox emphatica sic habet: Act. II, 16: *Τὸ ἐστὶν εἰρηαρόν διὰ τὴν Ἰωήλ.* Arguere proinde juvat: *Si τὸ, illud idem, quod dictum est per Joëlem, jam factum est in prima illa post ascensionem Christi Pentecoste; seqv. ejus impletionem miraculosam frustra etiamnum sperari. A. E.*

Proscel. XLII.

Accipite nunc ea, quæ aspergam. Pergere nimirum & instare lubet: Si per effusionem Spiritûs S. intelligunt media extraordinaria, Prophetias, insomnias, visiones, ecstases; eademq; in regno glorioso Christi ad judicium apparentis præstò futura opinantur (perinde fere, ac seculum isthoc ob prophetiarum multitudinem & florentem Ecclesiæ statum nonnulli *seculum Spiritus Sancti* vocant) *anne ergo non evidens hæc est petitio ejus, quod erat in principio?* Cogitent, amabo, unum. Ab effusione illa Joëlitica Spiritûs S. provenit donum linguarum, quod in Ecclesia viguit primitiva. Ostendatur autem nobis vel unus ex illis, qui hoc tempore præ cæteris illuminati putantur, in quo donum hoc linguarum inveniatur? Nos in mediis ordinariis, Verbo & Sacramentis (utpote quæ ne ipsa quidem promissio Joëlitica excludit, v. g. Baptismum, Act. II, 38. per quem bene multi acceperunt Spiritum S.) omnium tutissime subsistimus, ad legem & ad testimonium, hoc est, Evangelium astricti, Mosen, Prophetas & Apostolos habentes, audientes, sequentes. Neque probant loca, in *Prop. XXII.* allegata *Thren. II, 13. Jer. XXX, 17. XXXIII. 6. Ezech. XI, 19. Zeph. III. 9.* effusionem Spiritûs S. miraculosam, aut talem, quæ temporibus extremis sese per media extraordinaria sit exertura.

Proscel. XLIII.

Dispiciate quoque ἐν τῷ τῆς ἀληθείας ἡ περὶ πάντων πνεύματι, *num spiritus quidam amoris catholici erga omnes omnium religionum atq; Ecclesiarum, quæ Christianæ vocantur, affeclas ita debeat fo veri, ut media benotica sive unitiva æquè ad omnes illos*

illos veniant extendenda? Nimirum ceu benefaciendum est omnibus, maxime tamen κοινωνοῖς τῆς πίστεως: Ita & media heretica sive unitiva ad eos, qui eatenus in sermone Christi manent, quatenus doctrinam ejus retinent illibatam, ita venient applicanda, ut hanc eandem constanter retineant illibatam manentque in sermone Christi. Ad eos autem, qui nec doctrinae puritatem, nec Sacramentorum integritatem servant, ita accommodabuntur, ut errores agnoscant suos, & ad veritatis divinae agnitionem, confessionem atque praxin sinceriores sese manuduci patiantur. Hoc enim nisi fiat, temere omnino tentatur redunitio. Stante nimirum dissensu fundamentalis, ne virtualis quidem concordia est praesto; nec ulla luci cum tenebris, ulla Christo cum Beliale intercedit communio. Quem oportet vocare Pseudopropheta, ane, sodes, vocare decebit Philadelphum? Imò, si ne quidem Ave ipsi dicere licitum est, multò minus eundem appellare fratrem in Christo conveniet.

Proscel. XLIV.

Disquirite ad normam Verbi divini, num, si media partium dextre se habeant, sufficiat ille scopus tentatae redunitio- nis Philadelphicae, isque in eo positus, *ut ante omnia refrigera- ta charitas & fides quo vis modo restituatur Christianis, in tot religiones divisas.* Enimvero optabile hoc quidem foret; imo & laudabile est, illud per legitima & divinitus ordinata media omni studio ac nisu tentare. Etsi enim Salvator ipse permisit, ut zizania in medio tritici crescant usque ad messem: Etsi insuper vas ejus electum Paulus praedixit, Antichristum non prius abolitum iri, quam per ipsummet adventum appa- ritionis ejus, ut adeo refrigeratae charitatis & fidei restitutio ante diem extremum frustra expectetur: Tamen Servi Dei zizania debent appellare zizania, & homines, ita denomina- tos, durante etiamnum gratiae tempore hortari, ut suae salutis habeant rationem, ne projiciantur in caminum ignis, & ne

bibere cogantur de vino iræ divinæ, si characterem bestię & Antichristi recipiant in fronte.

Proscel. XLV.

Notate, sodes, ea, quæ dictis adjiciam: Quin deponunto heterodoxi quilibet errores suos, maximè eos, qui fundamento fidei adversantur. Missam faciunto cum orthodoxorum, tum heterodoxorum plurimi prædominantem subinde impietatem. Alterutrum quippe si defuerit, duo illa Societatis Philadelphicæ fulcra, *amor catholicus & fides Apostolica*, minime perstabunt; nec nævi utrobique extantes corrigentur. Pii maneant pii; impii seriam agant pœnitentiam. Sed & errantes in fundamento ne resistant meliora docentibus. Hoc enim nî fiat, **OMNIS RELIGIO AD EXTREMUM EVADET NULLA RELIGIO, QVE MADMO-DVM πολυθεότης EST ἀθεότης.** Tantum aberunt ab eo Philadelphi ejusmodi, ut amorem catholicum & fidem Apostolicam obtineant, ut philadelphiam Indifferentisticam, hoc est, in utramque partem claudicantem, & neque calidam, neque frigidam sectando, ex ore Filii Dei dicantur evomendi. Quod ut ab ipsismet Societatis hujus Anglicanæ Membris prohibeat Dominus, nos quidem certe, τῆ ἔ χειρὶ ἀγάπῃ συνεχόμενοι, ex animo precaimur.

Proscel. XLVI.

Veluti tandem ex dictis probe animadvertitis, quidnam de fine isthoc Philadelphico, quidve de mediis sit habendum: Ita judicate nunc super illa *Propositionis XXXI.* phraseologia, quod primarium Apostolicæ fidei objectum sit revelatio regni Dei in anima. Etenim si per fidem Apostolicam intelligeretur doctrina Apostolica (in Scholis appellata *fides qua*, unde postmodum *fides qua* dependet) per revelationem autem Dei in anima significaretur regnum Dei, quod est in nobis Luc. XVII, 21. (non sermone, sed virtute constans, 1. Cor. IV, 20. & βασιλεία ἔστι τῆ ἀγάπης αὐτῆ Col. I, 13.) cum nempe Pa-
ter

ter

ter coelestis dat nobis Spiritum S. suum, ut suo sancto Verbo per suam gratiam credamus, & piè hîc temporalem, illic æternam vitam agamus; hoc sensu admitteretur Propositio.

Proscel. XLVII.

Sin per revelationem Dei in anima (attendite nunc ad ea, quæ equidem subjungam) excludatur revelatio Dei in auribus (nam fides est ex auditu; & qui aures habet ad audiendum, is audiat) Volo dicere: Si talis intelligatur revelatio Dei in anima, qualis non amplius per externa Verbi & Sacramentorum media, sed per tractum Patris ad Filium, uti quidam ajunt, & per immediatam Spiritus S. operationem unctionemque fieri creditur; tum vero nemo non videt, quidnam de Philadelphica isthac revelatione Dei in anima sit pronuntiandum. Si enim aliam Dei revelationem in anima, hic & nunc existentem, credunt Domini Philadelphi, quam eam, quæ per media Verbi & Sacramentorum, efficaciter hic & nunc operantium, perficitur; illæsa certe sanorum verborum forma iisdem adstipulari non possumus. Ecquid enim paleæ cum tritico Jer. XXIII, 28?

Proscel. XLVIII.

Concludite mecum materiam isthanc Philadelphicam moderatiore quadam epicrifi, eademque consulto à B. D. Balduino mutuata, quæ extat apud *Dedekenn. Append. ad Consil. Volum. II. pag. 101*: *Eos, qui à Calvinianis aut aliis hæreticis seducti sunt, à fraternitate Ecclesiastica non simpliciter excludimus, modo dociles sint, & meliora audiant: contumaces autem & seductores in eodem censu habemus, in quo Paulus noster Hymenæum & Philetum, & seductores alios habuit. Et paulo ante: Accurata hic distinctione opus est. Sunt enim in Ecclesia falsa sæpenumero multi, qui non sunt de ea, sed veram fidem in corde suo amplectuntur, de quibus Augustinus dixit in Homil. 45. in Johann: Multi dicuntur esse extra domum, qui tamen sunt de domo. Deinde sunt, qui in errorem seducti, dociles tamen adhuc sunt, &*
corri-

corrigibiles, quos Paulus infirmos in fide nominat Rom. XIV, 1. Deniq; sunt aperti & contumaces heretici, qui alios seducunt, & de quibus exigua spes emendationis.

Proscel. XLIX.

Addite his, quæ idem Theologus vere pius ibidem affert, sequentia: *Ad priores, inquit, duas classes pertinent Corinthii & Galata, quos fratres nominat, quia nondum desperatum erat de ipsorum conversione; idcirco ipsis conversabatur, eos informabat, dociles quoq; inveniebat: sed contumaces hereticos vitare jubet Tit. III, 10. quin & Satanae interdum tradit 1. Tim. I, 20. & in genere observandos & declinandos esse docet eos, qui dissensiones & scandala faciunt, Rom. XVI, 17. fugiendos etiam, si qui aliter docent, & non acquiescunt sanis sermonibus D. N. J. C. & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinae 1. Tim. I. damnat eos, qui aliam doctrinam attulerint, quam Apostolicam Gal. I, 8. imprecatur eis perditionem Gal. V, 12. & cautos nos esse vult, ne participes fiamus eorum, qui seducunt inanis verbis Eph. VI, 7. tantum abest, ut hujusmodi seductores & præfractos mendaciorum assertores pro fratribus agnoscat. Rumino id, quod satis equidem jam innui: Quoad nostra nos conscientia in Spiritu S. convincit, zizania & Antichristum ipsum in messe, h. e. in ipsamet extrema consummatione seculi, Christo Judice adveniente etiamnum præsto fore; tantisper haudquaquam credere possumus, inter coetus Ecclesiarum Christianarum visibiles, v. g. Lutheranos, Pontificios & Reformatos unionem ejusmodi philadelphicam, amore catholico & fide Apostolica nixam, esse consurrecturam, ut hi, curatis divisionibus atque sectis, remotisque corruptionibus, Christum Judicem advenientem excipiant, sicque adeo doctrinae puritas, refrigerata charitas & fides Christianis, in tot religiones divisas, ante eundem Christi Judicis adventum sint restituenda; neque etiam Christus personaliter (ceu in Propositione dicitur XXXVIII.) de coelis ante, quam in terris fuerit*

erit

erit Ecclesia istiusmodi Philadelphica, quæ ipsum recipiat, sit
appariturus.


Proscel. L.

Nempe enim, si mens non læva fuerit, cognoscetis (cognoscite ergo, *Moderati Animi*) quo colliment, & quo tandem abeant consilia hujusmodi Philadelphica, si instar omnium considerare juverit specimen revelationis, anno 1695. per Membrum aliquod Societatis istius Anglicanæ scriptæ ad resolvendam hanc quæstionem: **VTRVM REVELATIO, AVT IMMEDIATA DIVINÆ AGNITIONIS COMMUNICATIO HOC TEMPORE OBTINERI POSSIT?** In quo & de possibilitate, usu & necessitate revelationis tam privatæ, quam publicæ, in hac præsentis & appropinquante Ecclesiæ periodo (decursu puta Seculi XVII.) prolixè agitur. Superstruitur verò his postulatis: Videlicet (I.) *Ubiq; res aliqua cum altera unita est, ibi similitudo quadam inter illas sit, necesse est; quæ similitudo causa est unionis.* (II.) *Quò majorem res cum altera similitudinem habet, eò firmitus cum ea uniri potest.* (III.) *Cum due res ita dissimiles sunt, ut ex seipsis uniri nequeant, tunc unienda sunt per aliud quid, in quo conveniunt.* (IV.) *Opera Dei semper sunt juste proportionata.* (V.) *Scripturæ nobis traditæ sunt desuper, ut ex iis sciamus revelatam Dei voluntatem.* (VI.) *Res potest attingere illum statum, ad quem creata & destinata est à Deo.* (VII.) *Beatitudo intus est.* Sapientibus satis. Nos de his αἰτήμασιν (utut ex anterioribus jam pateat, quid sit habendum) occasione in conflictu subministrata, sententiam dicemus. Judicent interim vel Moderatissimi, an non Philadelphia quædam Indifferentistica & Fanatica, typo sanæ doctrinæ parum congrua, sic anquiratur. Conf. ea, quæ à Jane Leade scripta sunt; quæ inter etiam numeratur **Eine Botschaft an die Philadelphische Societät;** apud *Arnold. l. c. p. m. 682.*



D

CLA-



CLARISSIMO, PROBITATEQVE,
DOCTRINA ET INDVSTRIA COM-
MENDATISSIMO

DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

PRÆSES.

DUm haud ita pridem super Disputatione quadam publi-
ca, apud nos ventilanda, Tuum mihi desiderium
exposuisti; utiliore huic tempore materiam Tibi sup-
peditare equidem nescivi, quam eam ipsam, quam in
praesentia trivimus, DE FUGIENDA XENOPHO-
NIA. Scribit Eusebius, Montanum coepisse ξενοφωνεῖν ὡς
πὸ κτ' πλὴν παραδόσιν καὶ κτ' διδασχλῶ ἀνωθεν τῆ Ἐκκλησίας ἔθθη,
nove loqui citra consuetudinem, traditioni & doctri-
nae Ecclesiae antiquitus receptae convenientem, alle-
gante B. Dannhausero nostro Christeid. pag. 531. Ut ut
igitur dudum a sanioribus explosa fuerit illa Spiritualium Mon-
tani sectatorum, qui a se dissentientes Psychicos appella-
vere, illa Catharorum, illaque, ut phrasi utar Dannhauseriana,
Sanctulorum & Hagiodaemone obsessorum cohors; Tamen Xe-
nophonia, iis non multum absimiles; illae, ne utquam a vere piis,
quos constanter hinc sequestramus, verum ab aliis, quos in
praesenti Disquisitione nota vimus, adhibita plurimis in locis
nostra etiamnum tempora di vexant. Bonum ergo factum,
mi θεοφιλέστατε DOMINE M. FRIESI, quod ab his secessionem
facere, quod in sanis sermonibus D. N. J. C. manere, quodque ejus,
quae secundum veram pietatem est, doctrinae typum sollicite asser-
vare

vare actuari mavis. Sunt enim hæc non humanæ rationis, non carnis & sanguinis placita; verum ipsius Dei mandatò nixa, quæ sequeris, instituta. Verus Christi discipulus est, qui in sermone ipsius manet, idq; (ut didacticè loquar) haud moraliter tantum, sed & doctrinaliter, λόγῳ καὶ ἔργῳ sibi præstandum censet. Certum è contrario indicium est, quod quis JESUM CHRIS-
TUM minus sincere diligat, si doctrinas, quas audit legitve, hæreticas, Verbo ipsius adversantes, non odit & extreme abominatur. Rectius utique Tu sapi, mi Charissime, manens in iis, quæ didicisti, & sciens, à quibus illa didiceris. Sic nimirum haudquaquam in carne, verum in spiritu Πείνωσιν ἀληθείας καὶ κατ' εὐσέβειαν porro secuturus, charismata ministrantia cum sanctificantibus rite junges; sic duas insignioris pietatis antiquæ Lutheranæ Evangelicæ hostes, Indifferentismum & Fanatismum, precibus Tuis felicissime superabis; sic Atlantibus patriæ pietatem non fucatam, sic Ecclesiæ fidele servitium probabis, si lubricas multorum vias, ceu adhuc fecisti, prudenter declinare perges. Perges autem; quod de Te mihi persuasissimum habeo, & bonorum omnium tibi conciliabis animos. Vale, & mecum cultis divini interni tenax, externum itidem ne negliges, ejusdemq; præcipuam arbitrare partem, confessionem sine scandalo edere, & de rebus divinis (quod vel Ethnici fecisse leguntur) timide ac verecunde loqui. JESUS, eruditæ linguæ Magister, qui non Timotheum modo, Episcopum Ephesinum, verum nos etiam omnes per Vas suum electum Paulum Apostolum κενόφωνίας ἐκτρέπει δυνάμει, h. e. cum tergi-versatione horrere, evertere & explodere 1. Tim. VI, 20. imò ἐπισημαίνου, h. e. circumcirca ducto exercitu obsidione quasi circumvallatas impugnare 2. Tim. II, 16. iussit, conatibus hisce tuis apprime piis, & bonorum omnium applausum facile deportaturis, ex alto benedicat; eos autem, qui κενόφωνοὺς ἢ καὶ κενόφωνοῦσιν novæ adhuc fingendo phrases novæ palliare hæreses annisi sunt, clementer, obsecro, convertat! Dab. Altdorfl Noricor. Non. Septembribus Anni MDCCII.

Pura

Pura Tibi puræ doctrinæ pabula dudum
 Cum pietate gravi Leucoris alma dedit.
 Ac hinc jam specimen majori solvere plaufu
 Per noſtram cathedram, & pulpita noſtra, potes.
 Inde Tibi veræ patet ingens area laudis,
 Area per multos inviolata dies.
 Gratulor, ut capias, ex puro corde precatus,
 Omnia, quæ verus præmia poſcit honor.

*Ita fugiente quidem calamo,
 pio tamen voto
 approbat Cl. DN. MAGISTRI
 ſpecimen egregium*

M. JOH. MICH. SONNTAG,
 Fac. Phil. Jen. Adj.

Dum virulentum negligis odium
 In orthodoxam, quod vomit impius
 Jam veritatem mundus, ejus
 Monſtra notans novitatis atra;
 Et veritatis præmia demetes,
 Cujus peroras in cathedra piam
 Feliciter cauſam, ſtatuto
 Chriſtiadum grege militante.
 Verùm tribunal Numinis ultimum
 Majora reddet, quod ſua velleræ
 Hypocriſi deterget, atque
 Reſtituet benè veritatem.

*Præclariffimo DN. M. RESPONDENTI,
 Fautori & Amico ſuo honoratiſſi-
 mo, hæſce lineolas εὐλικρινείας καὶ
 Φιλίας ἕνεκα ſcribebat*

JOHANNES NICOLAUS AMMON,
 Suobaco-Francus, S. S. Theol. Stud.



Datum der Entlehnung bitte hier einstempeln!

21. Nov. 1997

SÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0489451

37 10079

